

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Gloria eterna I
cum fonte primo

Ecce uenale est regnum Dei; eme, si uis.
Nec multum existimes de re magna propter precii magnitudinem.
Tantum ualet, quantum habes.

Noli querere quid habeas, sed qualis sis.
Res ista te ualet tantum, quantum es. Tu te da et habebis illam.

Sed malus sum, inquires, et forte me non accipit.
Dando te illi, bonus eris.

Augustinus de spiritu et anima.

Et tamen uenale est: eme si vis.
Nec multum exaestuues de re magna propter pretii magnitudinem.
Tantum ualet, quantum habes.
Ad aliquid ergo magnum et pretiosum comparandum parares aurum,
vel argentum, vel pecuniam, vel fructus aliquos pecorum aut frugum,
qui in tua possessione nascerentur,
ut emereres nescio quid hoc magnum et praeclarum,
quo viveres in hac terra felix. Et hoc eme, si vis.
Noli quaerere quid habeas, sed qualis sis.
Res ista te ualet. Tantum ualet, quantum es tu. Te da, et habebis illam.
Quid turbaris? quid exaestuas?
Numquid quaesiturus es te, aut empturus es te?
Ecce tu qui es, qualis es, da te illi rei, et habebis illam.
Sed malus sum, inquires, et forte me non accipit.
Dando te illi, bonus eris.

Augustinus Hipponensis, *Sermones*, 127.3 (PL 38, col.707).